

FK. 126/13

II c
1426

De iudicio seculari Romano

185986

SECVLI

A NATO REDEMTORE XVII.

Valedicentis

ΑΝΑΚΕΦΑΛΑΙΩΣΙΝ,

Wratislaviæ

â

Studiosâ Gymnasii Elifabetani Juventute,

Die totius Seculi penultimo,

Horis ab VIII. matutinis

In Theatro exhibendam

intimat

Gottlob Frank/

Histor. Eloq. & Phys. Prof. & Bibliothecarius.

WRATISLAVIÆ,

In Hæredum BAUMANNIANORUM Typographia

exprimebat Johannes Janckius,

Typographiæ Præfectus.





Quamvis SECVLVM nondum ad subtile examinatum, cum Principe Chronologorum antiquorum (a) fateri cogamur, dum alii sine annorum determinato numero spacium vitæ humanæ longissimum, natali & morte definitum, Seculum esse dicunt, in hoc rituales Hetruscorum veterum Libros secuti, qui hominum eodem die cum civitatis cujusdam solenni constitutione natorum vitam observantes, ad annos maximè omnium longævi Seculum urbis determinabant, alii verò cum Romanorum XV viris Sacris Faciendis CX. annos Seculo cuiuslibet tribuunt, alii diversissimâ ratione illud metiuntur (b); placuit tamen in eâ Naturalis Seculi incertitudine Romanis, civile Seculum ad certum C. annorum numerum statuere, sive quod ab Hetruscis ita constitutum olim invenerint, sive quod multos primorum Civium suorum ad eam ætatis durationem pervenisse viderint; quam sententiam & inter nos communis multorum Seculorum consensus comprobavit. Seculi hujus terminum memorabili cultu & maximâ Ludorum solennitate celebrare antiquissimus Principis populi, Romanorum, mos fuit, quorum *Ludos Seculares*, inter Romanæ Magnificentiæ solennia primum ferè locum sibi vindicantes, in præsentia, quem jam attigimus, Seculi XVII. à Nato Redemptore Terminò considerare non incongruum videtur. Non prima Ludorum horum initia à Voluso Valefio, pro Filiorum salute ad Oraculi monitum Terenti Diti Patri & Proserpinæ turvas hostias mactante, lectisternia parante, trinoctiumq; perpetuis choris carminibusq; celebrante (c) repetam; nec inquiram, an Volusi hujus Filius, P. Valerius Poplicola, post Regifugium gravi peste urbem vexante, primos Seculares Ludos ad Patris normam instituerit (d); omnia enim hæc per Fastorum nævos & lacunas dubia & obscura sunt. Imò, quamvis aliquoties ob publicam pestilentiam calamitatem Sacra hæc per XV viros repetita legamus (e), probabile tamen videtur, non tam Secularium, quam Terentinorum Ludorum nomine solennia ea dicta fuisse; donec suppressâ Romanorum Libertate Octavius Augustus Ludis hisce & solennitatem ampliorem, & Secularium Ludorum nomen tribueret (f). Ille abolitos paulatim, & diu intermissos hos ludos ad Sibyllinorum Carminum præscripta maximo apparatu faciebat, hisq; lustrari urbem & expiari, Deorum iram placari, salutem Populi procurari, Principem, Senatam, Plebemq; Diis commendari, imò per hos Imperium Populi Romani perpetuum fore sibi antiquâ superstitione persuadebat. Mittebantur, ut rituum quosdam tangamus, instante Ludorum tempore Præcones, qui per totam Italiam Populum ad eos concurrere ludos jubebant, quos nemo prius spectasset, nemo amplius spectaturus esset. In ipso Ludorum initio Imperator ipse, Pontificis Maximi munere fungens, in Capitolio ad populum verba faciebat, illiq; corporis & animi puritatem commendabat; tum ante Jovis Capitolini Templum piamina, sive februa, sulphur scilicet & bitumen Populo distribuenda XV viris dabat; indeq; Princeps cum Senatu aliisq; Magistratibus, Sacerdotibus omnium Ordinum, totoq; Populo, albis vestibus induti, floribus redimiti, & palmas manibus portantes, solenni supplicatione Ludorum initium faciebant. Abhinc primâ nocte ad placandos Inferos Plutoni Taurus niger, Proserpinæ vacca ejusdem coloris, die sequenti Jovi & Junoni ejusdem generis, sed albi coloris animalia immola-

(a) Censorin. de die natali cap. 17. (b) Censorinus ibid. (c) Zosimus L. 2. Histor. init. (d) Zosimus ib. (e) vid. Onuphrii Panvinii de Ludis Secul. Librum. (f) Svetonius c. 3. Aug. Dio Cassius Lib. 54. Huc spectat Carmen Seculare Horatii in fine Epod.

molabantur; nocte sequenti Parcæ agnus & capra furvi coloris, tertiâ Terræ Matri porcus mactabantur; tempus autem intermedium in Campo Martio omnium Ludorum generibus, in omnium Deorum Templis hostiarum & hymnorum solennitati, imò & per urbis vicos Saliorum, aliorumq; saltationibus, usq; ad totum triduum trinoctiumq; absolutum, adhibebatur. Plura de ritibus hisce à Zosimo. Onuphrio Panvinio, Rainsantio (g) & aliis fusè explicata, prolixitatis vitandæ causâ omittimus. Hoc unice addendum videtur, sequentium Imperatorum quosdam sæpe præter causam Imperii sui tempus hæc Ludorum solennitate notabile reddidisse; id quod Claudius, quasi errorem Augusti in Ludorum termino commissum correcturus, LXIII annis vix elapsis, faciebat, & ad Urbis conditæ Secula respiciens centesimo quolibet anno impostero celebrandos Seculares Ludos decernebat. (h) Hoc negligens Domitianus, Seculo ab Augusti Ludis præterlapso, eosdem maximâ solennitate repetebat, eorundemq; memoriam nummis sat copiosis impressam posteritati relinqvebat. (i) Sequentes Septimius Severus cum Filio Antonino CCXX. annis post Augusti Ludos, computo ad antiquorum XV virorum morem facto, instituebat, (k) quibus tamen neglectis, post XLIII. annos Jul. Philippus maximâ, quam vel Orbis unquam viderat, solennitate Millesimum Urbis annum Secularium Ludorum pompâ celebrabat, & in spectaculis animalia copiosa, eaq; satis rara, à Gordiano quidem ad Persicum Triumphum parata, Urbi ostentabat, eorumq; memoriam in nummis passim extantibus conservabat. (l) An Philippus hic bestias citatas, à Sacrificiis Romanorum alienas, ostenderit quidem, & cædi, non verò immolari iusserit, eoq; nomine recedens ab antiqua Ludorum superstitione Christianus videri possit, ut Joh. Ciampino videtur, (m) in medio relinqvimus; certè Honorius, Ludis his Philippi insuper habitis, centesimum à Severo annum celebrans, Ludos quidem Circenses & Theatrales, minimè verò sacrificiorum superstitionem Romanis injunxisse videtur. (n) Ab eo tempore neglectum penitus sub Christianis Principibus Ludorum Secularium morem scimus, quod & Zosimus, Christiano nomini infensus, in calumniam vertit, & celebratis his superstitionis antiquæ solennitatibus Romanum Imperium integrum mansisse, omissis verò iis labefactatum, & paulò post in præceps pronum corruisse, vanissimè sibi persuadet; (o) à quâ & opinione Symmachus non abludit, cujus tamen cavillationes (p) piâ Prudentii confutatione dissipatas non vimus. Quamquam verò stolidos antiquæ superstitionis mores comprobare nobis animus non sit, non injustè tamen ad memorandam hanc temporis vicissitudinem, quæ & nobis in præsentem contingit, pio animo attendere poterimus, dum tanto plausu Gentiles eandem exceperunt. Attigimus eam Seculi mutationem, quam nemo nostrum prius vidit, nemo amplius visurus est; nimis itaq; rerum cœlestium & terrestrium incuriosi, imò in Maximum Seculorum Arbitrum, DEUM, ingrati videremur, nisi suspensis aliquantisper à rerum quotidianarum curâ cogitationibus, sive ad præterlapsum respiceremus, sive Summo Numini ob præterita quidem gratum Soterium, ob futura devotas preces offerremus. Non cadit in vires nostras ea, quam notabile hoc temporis punctum sibi poscit, pompa; ne tamen prorsus sensum rei summè notabili detraxisse videamur, in culmine Seculi constituti quasi retrospicere volumus, & quæ mirabile hoc Seculum sive in Regnorum & Reipublicarum vicissitudinibus inexpectatum, sive in sanguinis effusione horribile, sive in natura-

(g) In Dissert. in XII. Nummos Domitiani de Ludis Secularibus Gall. Versal. 1684. 4. [h] Sveton. in Claud. cap. 21. Plinius Lib. 7. c. 48. & Lib. 8. c. 42. Dio Cassius L. 59. [i] Tacitus Lib. 11. Annal. c. 11. qui ipse ut XVvir S. F. interfuit. Sveton. c. 4. Domit. [k] Dio Cassius L. 75. Herodian. L. 3. [l] Jul. Capitolinus in Gordianis. Eutropius L. 9. [m] in Sacro-Hist. Disquisitione de 2. Emblematis &c. Rom. 1691. 4. [n] Claudianus in Panegy. de 6. Consul. Honorii. [o] Histor. Lib. 2. [p] in Relatione pro veteri Deorum cultu ad Valentin. Theodosium & Arcad. Augg. quæ inter opera Prudentii habetur.

turalium rerum eventibus admirandum, five in Reipublicæ Literariæ incrementis prosperum vidit, Juventuti nostræ in Scena referendum dedimus. Acroamatum horum in auribus quorundam spectandi potius, quam audiendi gratiâ accedentium tædia intersceniis quibusdam poëticis admixtis, ex ipsâ tamen re fluentibus, temperare quæsvimus; quæ omnia, ut *Auditores Spectatoresq; nostri omnium Ordinum Aestumatisimi*, (quos ad exiguam hanc Seculi valedicentis solennitatem eâ quâ par est, animi submissione invitamus,) æquo animo, iudicioq; mitiori excipere, & tolerare velint, obnixè rogamus. Vix guttulas quasdam è vastissimo rerum hujus Seculi memorabilium Oceano haustas, propinare nobis licuit, temporis spatio angustioribus limitibus nos circumscribente; sed si Auditores nostros ad Magna DEI opera piâ mente pensitanda, & futuri Seculi felicitatem prece devotâ à DEO efflagitandam, incitare valebimus, abundè nostro officio satisfactum putamus. P. P. die XXIX. Decembr. Anni M. DCC.

Prodibunt

I. Collocutores, disserturi de Seculi præterlapsi

1. Statu Politico, mirisq; Regnorum vicissitudinibus: GERMANUS (Friedr. Ernst Scholz/ Olsn.) HISPANUS (Casp. Gottlieb Busen/ Wrat.) GALLUS (Gottfr. Leonh. Baudis/ Lign.) ANGLUS (Georg. Wenz. Pohl/ Wrat.) SVECUS (Sigm. Ludw. de Wilhelm) POLONUS (Christian. Aldel/ Wrat.) HUNGARUS (Gottfr. Stöckel/ Wrat.) & TURCA (Carl Ernst Sachs/ Sirelens.)
2. Bellis, horrendaq; Sangvinis effusione; NOBILIS (Carl Friedr. Patzensky de Tenczin.) THEOLOGUS (Christian. Runge/ Wrat.) CIVIS (Gottfr. Rilde/ Wr.) & MILES (Joh. Casp. de Klofen.)
3. Rerum naturalium admirandis; MEDICUS (Benj. Littmann/ Cruciburg-) PHYSICUS (Christoph. Sam. Gärtner/ Lign.) ASTRONOMUS (Adam. Christian. Thebesius, Lign.) NAUTA (Casp. Spinnich/ Lucanus, Guben. Lusat.) & AGRICOLA (Sam. Bollgnad/ Wrat.)
4. Literarum incrementis; AULICUS (Ernst Christ. Hubrig/ Wrat.) HISTORICUS [Wilh. Hönisch/ Wrat.] PHILOSOPHUS (Joh. Ferd. Curans, Wrat.) MATHEMATICUS (Mart. Ferd. Schedler/ Wrat.) PHILOLOGUS (Gottfr. Ernst Waltsgott/ Olsn.) EPHORUS (Christian. Ferd. Sesselhofer de Sesselhoff.) & 2. JUVENES (Wilh. Balth. de Sebisch/ & Joh. Ferd. John/ Wrat.)

II. Prologi, Intersceniorum & Epilogi vice

1. TEMPUS (Gottfr. Heinsius, Sorav. Lusat.) dura prioris Seculi fata referens, cui monita suggeret DIVINA PROVIDENTIA (Georg. Friedr. Förster/ Wrat.)
2. MAJESTAS (Christoph. Leonhard Förster/ Stropp.) quam INVIDIA (Gottlieb Jachmann/ Wrat.) & INOBEDIENTIA (Wenz. Kahl/ Lign.) dictis affligent, sed VIRTUS (Sam. Tilgner/ Jaurov.) & HONOR (Thom. Bartsch/ Ravic. Polon.) tuebuntur, Austriacam simul Majestatem cantu celebraturi.
3. BELLUM (Joh. Casp. Moritius, Stolp. Pomeran.) à JUSTITIA (Joh. Friedr. Burg/ Wrat.) reprehendendum.
4. TRES PUERI (Dav. Glade/ Friedr. Leopold. Tinius, & Joh. Carl Scoluthus, Wrat.) & totidem PUELLE (Joh. Wilh. Rube/ Gottfr. Dan. Fessel/ & Friedr. Christian. Pauli, Wratislavienses,) inquisituri, quid Natura maximè terribile exhibeat.
5. GRATUS ANIMUS (Joh. Dpiz/ Stropp.) PIETAS (Georg. Friedr. Steiner/ Wrat.) HONOR & VIRTUS Carmine Seculari Summo Numini laudes, precesq; oblaturi.

S. D. G.

1017

110



Vamvis SECVLVM nondum ad sub-

tile examinatum, cum Principe Chronologorum anti-

Faciendis CX. an-
 tiuntur (b); plac
 Seculum ad certu
 constitutum olim
 eam ætatis durati
 munis multorum
 num memorabili
 Principis populi, R
 Magnificentia sole
 jam attigimus, Sec
 gruum videtur.
 pro Filiorum salut
 vas hostias mactan
 nibusq; celebrante
 rius Poplicola, post
 dos ad Patris norm
 & lacunas dubia &
 lentia calamitatem
 men videtur, non ta
 lennia ea dicta fuis
 stus Ludis hisce &
 tribueret (f). Ille
 rum Carminum pr
 expiari, Deorum i
 Plebemq; Diis com
 fore sibi antiqvã su
 dam tangamus, inf
 Populum ad eos co
 amplius spectaturus
 Maximi munere fun
 & animi puritatem
 na, sive februa, sulph
 indeq; Princeps cum
 num, totoq; Populo,
 portantes, solenni su
 nocte ad placandos Interos Plutoni Taurus niger, Proserpinæ vacca ejusdem co-
 loris, die sequenti Jovi & Junoni ejusdem generis, sed albi coloris animalia im-



gamur, dum alii sine annorum
 pacium vitæ humanæ longissi-
 definitum, Seculum esse dicunt,
 corum veterum Libros secuti,
 lie cum civitatis cujusdam fo-
 rum vitam observantes, ad an-
 longævi Seculum urbis deter-
 n Romanorum XV viris Sacris
 diversissimâ ratione illud me-
 i incertitudine Romanis, civile
 ere, sive quod ab Hetruscis ita
 primorum Civium suorum ad
 a sententiam & inter nos com-
 vit. Seculi hujus termi-
 nitate celebrare antiquissimus
Ludos Seculares, inter Romanæ
 indicantes, in præsentia, quem
 rmino considerare non incon-
 rum initia â Voluso Valesio,
 Diti Patri & Proserpinæ tur-
 umq; perpetuis choris carmi-
 n Volusi hujus Filius, P. Vale-
 vexante, primos Seculares Lu-
 m hæc per Fastorum nævos
 aliquoties ob publicam pesti-
 a legamus (e), probabile ta-
 rum Ludorum nomine fo-
 n Libertate Octavius Augu-
 cularium Ludorum nomen
 iffos hos ludos ad Sibyllino-
 bat, hisq; lustrari urbem &
 curari, Principem, Senatam,
 a Populi Romani perpetuum
 tebantur, ut rituum quos-
 es, qui per totam Italiam
 nemo prius spectasset, nemo
 o Imperator ipse, Pontificis
 erba faciebat, illiq; corporis
 Capitolini Templum piimi-
 distribuenda XV viris dabat;
 acerdotibus omnium Ordi-
 edimitti, & palmas manibus
 aciebant. Abhinc primâ
 mola.

(a) Censorin. de die natali cap. 17. (b) Censorinus ibid. (c) Zosimus L. 2. Histor. init. (d) Zosi-
 mus ib. (e) vid. Onuphrii Panvinii de Ludis Secul. Librum. (f) Suetonius c. 3. Aug.
 Dio Cassius Lib. 54. Huc spectat Carmen Seculare Horatii in fine Epod.